gyrum tricamerata, inferius, in medio, et superius: in illis tribus interstitiis sunt multae cellae et camerae repletae instrumentis bellicis, ibi loricae, thoraces, galeae, scuta, clipei, gladii, fustes, cuspides, lanceae, arcus, tela, balistae, fundibula, machinae et bombardae, massae plumbeae ad jactandum et jacula, massae sulphureae et piceae ad ignem incendendum, et haec omnia in tanto ordine et multitudine sunt ibi, ut stupor sit videre. Ibi vidimus multa bellica instrumenta terribilia et rara, mirabili ingenio excogitata. Ibi vidimus oblongas naves in alto suspensas, in memoriam victoriae cum eis adeptae; nam dum Garlacum terrestri pugna aggressi fuissent, nec profecissent, fabricatis navibus ad hoc aptis oblongis ipsas naves portaverunt supra montes, et ab alia parte in locum deorsum submittentes navali proelio civitates, castra, villas, fortalitia ceperunt munitissima per gyrum loci, quae terrestri bello obtinere non poterant.

Insuper ibi vidimus vetusta ingenia bellica ex spoliis Othonis, filii Friderici primi, quem navali bello vicerunt. Nam dum dictus Fridericus I. hujus nominis imperator Alexandrum primum ab urbe repulisset, occulte Venetias venit, unde Veneti solemnem legationem pro papa ad imperatorem miserunt, cum litteris more communi cera sigillatis; hoc cernens papa dedit potestatem Venetis et tunc et semper non cera sed plumbo, ut papa facit, suas litteras sigillare. Emissis ergo ambasiatoribus ad imperatorem, dure eis respondit remandans, vel sibi vinctum mittere papam Alexandrum, imperii hostem, vel exspectare totius imperii contra se commotionem et victrices aquilas ante divi Marci templum. Revenientibus autem nuntiis concitatur continue bellum contra Venetos, et misit imperator filium Othonem cum classe 75 navium contra Venetos, cui occurrit dux Venetorum cum classe 30 navium in Histriam et regiam prostravit classem filiumque imperatoris captum cum multis nobilibus Venetias duxit. Papa autem intelligens adventum victorum cum captivis navem ascendit exercituique mari extra portum occurrit et duci victori congratulatus annulum porrexit aureum eique dixit: accipe, inquit, et me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito, quod tu tuique successores singulis annis statuto die servabitis, ut omnis posteritas intelligat maris possessionem jure belli vestrum esse quandoque factam, atque uti uxorem viro, ita id vestro subjacere

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;